

easdem ecclesias pro structuris luminibus libris calicibus et ceteris suis ornamentis quo melius valeat commendare et promovere, unde et vitrici sive altermanni talium ecclesiarum panem et vinum sibi pro sacrificio et missis — celebrandis ministrabunt; erit tamen in optione praedicatoris pro huiusmodi panis et vini ministratione insinuationes et promotiones istas facere vel singulis annis mediam sexagenam grossorum altermannis illis solvere, prout alii in oppido Pirnensi facere et solvere consueverunt altaristae. Demum quoniam certantibus triumphus et laborantibus praemia merito debeantur, disponimus et ordinamus, ut praedicator et altarista praefatus de dictis triginta florenis in suis deputatis terminis annuatim percipiendis praeter salaria seu accidentia ab antiquo sibi dari et solvi consueta viginti quatuor pro se et in suos convertat usus, tres illorum diebus celebrioribus pauperibus et mendicantibus publice in ecclesia parochiali pro elemosina erogabit, duos domino plebano, ut ipsum eo honestius in tabula sua provideat, et unum proconsuli et consulibus oppidi Pirna, ut ordinationem praesentem diligentius respiciant censusque et redditus in emendo et reemendo manuteneant et conservent, annis singulis persolvet. Et quia praedicator ipse et altarista altera fere manus et coadiutor maximus est plebani, volumus ipsum a solutione restauri penitus esse exemptum et absolutum. Quod si fortassis plebanus — per se esset magister artium seu in theologia vel iure in Alamania promotus et adeo habilis, ut solus ipse populo sibi credito in sermonibus fiendis cuperet et posset praeesse, permittimus id quidem, sed in eum eventum ultra quatuor missas ut superius per altaristam et praedicatorem legi solitas quintam singulis ebdomadis superaddet et de dictis annuis triginta florenis et aureis viginti quatuor pro suis laboribus reservans quinque pro pauperibus et unum pro consulibus quomodo supra distribuet et partietur; quod ipsum facturum est, si et in quantum evidenter constet, eum aliquando nullum habere posse magistrum vel in theologia aut iure canonico iuxta praemissa graduatum, quamprimum autem promotum huiusmodi habere aut proconsul et consules — sibi talem subordinare et disponere poterint, extunc illum omni remota contradictione tenebitur iuxta ordinationem praefatam suscipere et acceptare, alioquin re per consules illos ad aures praelatorum devoluta, nisi urgentissimas et fundatas opponat exceptiones, per eosdem ad id faciendum prout visum eis fuerit cogetur et compellatur, praemissis omnibus et singulis auctoritatem nostram ordinariam interponentes pariter et decretum. Nulli ergo omnino hominum etc. Si quis autem etc. Datum in castro nostro Stolpen die Saturni prima mensis Septembris sub anno domini millesimo quadringentesimo octuagesimo primo nostro maiori appenso sub sigillo.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Pirna mit dem Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

No. 184. 1481. 22. Oct.

*Kurf. Ernst und Herz. Albrecht reichen der Stadt gewisse Erbzinse, welche der Rath von den Gebrüdern Karas auf Schönfeld erkaufft hat, zu Erb- und Stadtgute.*

Von gots gnaden wir Ernst des heiligen Romischin reichs erczmarschalk kurfurst vnd Albrecht gebrudere herczogen zu Sachsen etc. bekennen —, nachdem